



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Alberto Magdeburgensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ciali gratia eam tibi duximus conferendam. Cum igitur secundum utrumlibet modum eam te velimus habere, nos ipsam tibi auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis & confirmationis infringere vel ei ausu &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI. Idus Martij, anno decimo.

CAPITULO MAGDEBURGENSI.

Epist. 10.
Super eodem,
& pro eodem
G. scribitur ut
eum recipiant
& admittant.

Licet causam quae inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum vestrum & quosdam ex vobis vertitur super collatione quarundam praebendarum ab eodem Archiepiscopo facta &c. in eundem modum usque confirmamus. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatinus magistrum ipsum juxta Ecclesiae vestrae consuetudinem recipientes in Canonicum & in fratrem, eundem fraternam caritate tracteris. Datum ut in alia.

ALBERTO MAGDEBURGENSI
Archiepiscopo.

Epist. 11.
Super eodem,
& pro eodem
G.

Licet causam quae inter te ac quosdam Magdeburgenses Canonicos &c. in eundem modum usque confirmamus. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatinus eidem stallum in Choro & locum in Capitulo auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, studeas assignare. Datum ut in alia.

MERSEBURGENSI EPISCOPO
& Brandeburgensi & Havelsburgensi
Electis.

Epist. 12.
Super eodem.

Licet causam quae inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum & quosdam Canonicos Magdeburgenses vertitur &c. in eundem modum usque confirmamus. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatinus memoratum magistrum possessione ipsius praebendae facientes auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, gaudere, contradictiones per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

VLRICO CLERICO.

Cum a nobis petitur quod justum est & honestum &c. usque perducatur effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinatus, custodiam sancti Petri in Leodio, quam ex concessione venerabilis fratris nostri H. Leodiensis Episcopi te asseris assecutum, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romae apud sanctum Petrum VI. Non. Martij, anno decimo.

Epist. 13.
Confirmatur
custodia S. Petri
in Leodio
sibi collata.

LVCÆ ABBATI ET CONVENTUI
Burgulienfi.

Ad evellendum & destruendum, adificandum pariter & plantandum, super gentes & regna disponente Domino constituti, iis tenemur robur apostolicum impertiri quae inter viros religiosos, pro ressecanda dissolutionis materia & virtutibus coalendis, deliberatione provida statuuntur, ut in odorem unguentorum Domini pede currant adolescentulae inoffenso, & liberius secus pedes Domini sedeant cum Maria. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinatus, ea quae dilecti filij . . . de Savigneio & . . . de Claremonte Abbates Cisterciensis ordinis, & P. de Butera Canonicus Andegavensis, quibus correctionem monasterij vestri duximus committendam, pro informatione religionis & utilitate monasterij vestri vobis consentientibus providè statuerunt, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus, constitutiones ipsas, prout in eorum authentico continetur, ad evidentiam pleniorum de verbo ad verbum huic nostrae paginae inserentes. STATVIMVS pro bono pacis & amore religionis quod Abbas, qui plus debet prodesse quam praesse & discipulos suos magis exemplo quam verbo docere, semper pauset in dormitorio, nisi fuerit infirmus aut minus, vel aliqua manifesta necessitas exegerit, vel magnum laborem sustinuerit. Nec Abbas nec aliquis monachus habeat coopertorium nisi de agniculis vel caris vel vulpibus, & cum panno nigro vel albo ordinato. Sapius comedat in refectorio, & si in camera comederit, comedat

Epist. 14.
Datur certus
modus vivendi
& legendi
monasterium
ad relationem
nonnullorum,
quibus correctio
excitata
commissa.